



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 3. An imponi possunt opera alinduè præcepta?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

Respondet Sylvius satis esse sic audire, & intelligere omnia quando dicuntur, ut in Satisfactione injungendâ sufficienter meminerit statûs Pœnitentis, ad eam competenter injungendam. Et verò sapè impossibile est saltem moraliter, ut Confessor distinctè singula tunc meminerit.

*Q. 2. Quænam opera in Pœnitentiam imponenda sunt?*

*Resp.* Ex Patribus & Conc. Florent. & Trid. sess. 6. c. 14. tria sunt præcipua ad quæ cœterarevocantur; nempe jeiunia, eleemosynæ, orationes; nam hæc sunt Satisfactiones pœnales simul, & medicinales: per jeiunium intelligitur omnis corporis afflictatio, & voluptatum sensuum etiam licitarum privatio, nam species ibi ponitur pro genere; per eleemosynam omne opus misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis; per orationem omnis actus religionis, & pietatis in Deum, ut Dei laudes, piæ meditationes ac lectiones, auditio Missæ, & concionum, susceptio Sacramentorum, examen conscientiæ, oblatio actionum suarum Deo facta ad ejus gloriam, actus fidei, spei, charitatis, contritionis, &c.

*Q. 3. An imponi possunt opera aliunde præcepta?*

*Resp.* Non possunt sola licitè imponi, si Pœnitens possit alia præstare. Prob. ex Trid. sess.

14. c.

14. c. 8. Satisfactio, quam imponunt, non fit tantum ad novam vitam custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. At opera iam aliunde præcepta nequeunt esse ad vindictam, & castigationem peccatorum præteritorum: nam etiamsi nulla peccata commisisset Pœnitens, teneretur illa præstare, nec illis iterum impositis puniri censetur. Idcirco restitutio iniuriæ, & damni compensatio, fuga occasionis peccandi, non sunt Satisfactiones vindicativæ.

Porro Confessor censendus est imposuisse opus non aliunde præceptum, nisi aliud exprimat, vel ex circumstantiis colligi queat: nam hæc est rationabilis ejus intentio. Quare si simpliciter imponat ieiunium, Pœnitens non satisfacit ieiunando uno die, quo ex præcepto Ecclesiæ vel ex voto tenetur.

Q. 4. An imponi debet Pœnitentia publica?

Resp. I. Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifestam Pœnitentiam non imponant: ait Rituale Roman. nam esset improporcionata, & contra usum Ecclesiæ, & quodammodo infamativa Pœnitentis.

Resp. II. Imponenda est Pœnitentia publica pro peccatis publicis, ita Trid. sess. 24. c. 8. Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde